



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Difficultas I. An salvâ Dei immutabilitate possibilis sit Incarnatio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

QUÆSTIO II.

An Possibilitas Incarnationis cohereat Principiis Theologicis?

HÆc Principia, alia sunt Theologiæ Naturalis, alia Theologiæ Christianæ, incipiendo ab illa priori, *sic*

DIFFICULTAS I.

An salvâ Dei immutabilitate possibilis sit Incarnatio?

SUAREZ hic Disp. 8. Sect. 3. vix putat humano ingenio satis id explicari posse. *sic ergo:*

I. PRINCIPIMUM Theologiæ naturalis, quod assumi potest contra possibilitatem Incarnationis. Deus est Ens immutabile, sed datâ possibilitate Incarnationis non esset immutabilis: ergo Incarnatio possibilis non est. Minor probatur. Quia mutari est aliter se habere, sed posita Incarnatione VERBI, VERBUM aliter se haberet, quod probatur: quia antea non erat homo, nunc est homo, antea non erat Incarnatum, nunc est Incarnatum: ergo in Incarnatione aliter se habet VERBUM.

Punctum Difficultatis 1.

Solvitur Obiectio.

RESPONDETUR I. VERBUM tunc aliter se haberet in extrinsecis, Concedo Consequentiam, in intrinsecis, Nego Consequentiam. Consequenter Nego tunc VERBUM mutari mutatione de qua hic. *Et explicetur distinctio.*

SUPPONO I. Duplicem quoad præsens posse cogitari Mutationem. Primò, Extrinsecam. Secundò, Intrinsecam, antonomasticòs dictam, & de qua maximè hic. Sic v. g. quando, à non esse dextri, ad esse dextri transitur, est mutatio extrinseca, si autem transeat à non esse albi, ad esse albi, est mutatio intrinseca.

SUPPONO 2. DEUM non esse quidem capacem mutationis intrinsecæ, tum propter Scripturam Malach. 3. & Jacobi. tum propter demonstrationes Metaphysicas. Mutationum tamen extrinsecarum non solum potest esse, si ne ulla imperfectione capax, sed illæ omninò Deo debentur. Ratio: quia si Deus non sit capax mutationum extrinsecarum, multa prædicata, quæ vera de Deo sunt, falsa forent, quod ipsum probatur, vera est hæc propositio: Deus est actu creans mundum, quæ tamen falsa esset, si Deus non sit capax mutationum extrinsecarum, quod probatur: quia ut suppono à non esse verificabilis, ad esse verificabilis prædicati, non potest aliquid transire sine sufficienti mutatio-

ne, quæ debet esse in intrinsecis, vel extrinsecis; hinc cum Deus non sit capax mutationis in intrinsecis, & tu negas etiam capacem esse mutationis in extrinsecis: non dabitur jam ratio, quare transeat illa propositio ad rationem verificatæ, cum antea non fuerit verificata, & certè mutatio in extrinsecis, non tam est mutatio Dei, quam extrinsecorum: & sicut necesse est extrinseca mutari, ita necesse est Deum capacem mutationis esse in extrinsecis.

SUPPONO 3. Mutationem quoad intrinseca duplicem esse. Primò, quæ sit vel maximè mutatio intrinseca, quando scilicet ipsum esse intrinsecum, ex non esse transit ad esse; & tunc illius motus nullum datur præsuppositum subiectum, cum illud sit primum esse mutatum, primo autem esse mutato, non datur prius. Secundò potest esse motus quoad intrinseca, quando motus advenit subiecto existenti: talis præsupponit jam subiectum, intelligitur enim advenire, non adveniret autem, si non præsupponeret subiectum, quia tamen per solam advenientiam non constituitur ille motus, seu mutatio, in ratione intrinseci, cum etiam extrinseca adveniant: debet istud intrinsecativum haberi aliunde; & hoc intrinsecativum non aliud est, quam ut ipsum mutativum in ipsum mobili recipiatur, vel fiat. Ostendit hoc inductio. Actione non dicitur moveri agens, sed passum, eò quòd actionem non recipiat agens, sed passum; è contra albedine mutatur intrinsecè paries, quia illam recipit. Et Ratio est: quia nullum potest ostendi intrinsecativum aliud, quod ipsum in hoc fundatur; quia omne intrinsecum est, vel per identitatem, vel per receptionem, aut fieri in se; si enim nec identificatur, nec recipitur, nec fit in illo, per nihil extrahitur ad esse intrinseci.

DICES. Ex vi hujus sequi, quòd etiam anima quando unitur materiæ, non mutetur.

RESPONDETUR. Mutatur imprimis, quia producitur ex nihilo. Rursus si recipit in se unionem, intrinsecè mutatur: si non recipit, alio ex titulo mutabitur, quia forma respectu materiæ non tantum habet rationem completivæ intrinsecè, sed etiam incompletæ intrinsecè; idque ex ordine essentiali ad materiam, cui illa debetur, tanquam forma; jam autem VERBUM est quid completivum terminativè, sed non complebile, nisi extrinsecè. Rursus cum definitivum animæ sit prædicatum, esse substantiam intellectivam incompletam, esseque sit propter operari; etiam debet habere incompletionem, eamque substantialem, consequenter intrinsecam, ad operari operationes sibi debitas: quam completionem acquirit illa ipsa, & non tantum corpus ab illa, cum etiam illa ipsa, ex intrinsecis suis principiis, ordinetur non tantum ad operationes spirituales, sed etiam sensitivas, quam completionem intrinsecam, acquirit

quirit anima vi unionis; jam autem VERBUM est in se completum, potest operationes sibi debitas exercere independenter à natura humana, consequenter vi unionis cum illa, nullum complementum intrinsecum acquirit, adeoque nec mutatur intrinsecè; hinc etiam operationes Theandricæ dignificativè & perfectivè spectant ad VERBUM; non autem quòd sint perfectio ipsiusmet VERBI, sed naturæ humanæ ita dignificatæ.

SUPPONO 4. Quod positâ possibilitate Incarnationis, non sit necesse asserere, quòd recipiat aliquid in se VERBUM, vel quòd fiat in illo tunc aliquid; expressit id Cyrillus Alexandrinus in epistola Synodali Concilii Ephesini ad Nestorium, ubi dicit, modum unionis VERBI cum natura humana, non debere intelligi secundum appositionem conjunctionis: ex quo, inferes, non secundum receptionem. Ratio suppositi est. Tum quia, non implicat contradictionem talis Entitas, quæ recepta in uno extremo, determinet aliud extremum ad nexum cum illo; talisque censetur esse unio materialis in homine. Tum quia non potest probari, de ratione modi esse, recipi in utroque extremo, quòd determinat. Tum quia definitivè modus, est Entitas determinativa rei, vel extremi indifferentis; hinc effectus illius formalis primarius, erit determinare; consequenter salvari poterit, licet non recipiatur in utroque extremo, sufficere; ut se habeat per modum determinantis, licet non recepti.

SUPPONO 5. Hoc ipso si non recipitur illa modalitas in VERBO, nec recipitur ipsa humana natura. Ratio: quia ratio recipiendi ut Quo, deberet esse ipsa modalitas, quæ si non recipitur, nec recipitur ipsa natura humana. Deinde quia natura humana habet se per modum potentiae terminabilis, idque ex proportionem ad ea, quæ sunt manifestè potentia, & manifestè terminabile; jam autem potentia non recipitur in suo actu, nec in illo subiectatur. *His suppositis*

EXPLICATUR distinctio. Mutatio est alia Extrinseca, alia Intrinseca, ut dictum Supposito 1. Mutatio intrinseca non competit Deo, secus extrinseca ut dixi supposito 2. Nota autem mutationis intrinseca est, vel fieri tunc, vel recipere in se aliquid, ut dixi supposito 3. Quia autem VERBUM nec ullam modalitatem in se recipit, ut dixi supposito 4. immò nec recipit ipsam naturam humanam, ut dixi supposito 5. hinc fit; ut salvâ possibilitate incarnationis, nullo modo intrinsecè mutetur persona divina.

RESPONDETUR 2. Negando mutari VERBUM, vel aliter se habere, cò, quòd quando utitur VERBUM, habeat se per modum termini, jam autem terminus quæ talis non subiacet mutationi. *Ad quod Explicandum,*

SUPPONO 1. Terminum ex præcisa ratione

terminandi, quia scilicet ex non terminare actu, transit ad terminare actu, non pati ullam mutationem in se.

RATIO 1. Suppositi est, autoritas Aristotelis 3. Phys. tex. 10. *In eis, inquit, quæ sunt ad aliquid, contingit altero mutationem patiente, verè dici alterum, nihil mutationis subire.*

RATIO 2. Quia si, ex præcisa ratione terminandi, sequitur terminum mutari, non posset ostendi, si hodie paries ponatur in India, per quid mutentur reliqui parietes, & quid sit istius mutationis productivum.

RATIO 3. Quia terminus in relatione habet rationem extrinseci, quia habet rationem aliud, si habet rationem aliud, non habet vim mutandi id, cuius est terminus; quia mutatio, de qua hic, debet esse, ut dixi, in intrinsecis.

SUPPONO 2. Non tantum verum esse, quòd terminus ex linea relationis non mutetur; sed id verum est, de quacunque ratione termini. Ratio: Tum quia Objectum terminat notitiam, habetque formalitatem objecti terminantis, & non præcisè termini ex linea relationis; nec tamen mutatur, quando ad illud terminantur notitiæ. Tum quia persona tres terminant naturam divinam, suntque verè termini: ex ratione tamen termini non mutantur; parumque refert, quòd illa terminatio sit ab æterno: quia si terminatio infert rationem mutationis, inferret etiam ab æterno; præcipuè, quia mutatio, quæ talis, non importat, præcessisse non esse; aliàs creatura ab æterno condita & ab æterno cogitans, suâ cogitatione mutata non fuisset. Tum quia, non est necesse rationem, quæ est complendi aliud, complendoque illud mutandi, non est, inquam, necesse, ipsam compleri, adeoque mutari; cum illa mutatio deberet esse intra seriem completionis: terminus autem definitivè, habet rationem complementis, adeoque facientis mutare, non autem completi aut mutati.

SUPPONO 3. VERBUM habere rationem termini in toto hoc ineffabili hypostatico. Ratio: Tum quia, ita habet communis phrasim Doctorum, qui dicunt naturam humanam esse terminatam à persona VERBI. Tum quia, Unio hæc supponitur facta in persona; Persona autem, quæ talis, habet rationem complementi & termini naturæ, estque redditio naturæ ne comunicetur alteri, adeoque ut terminetur, sistat in se, & habeat rationem totius. Tum quia VERBUM in toto hypostatico, non habet rationem propriè formæ, nec materiæ, nam utrumque hoc imperfectionem importat; nec item habet rationem efficientis, quia in isto Toto est aliquid ita proprium VERBO, ut non sit proprium aliis personis: jam autem quæ sunt in genere efficientis, communia sunt toti Trinitati: non etiam habet rationem causæ finalis, quia hæc explicari non potest, in quo consistat, ut fundet

unionem substantialem; ergo restat, ut habeat rationem termini complementis substantialiter.

His suppositis

EXPLICATUR. Cū posita possibilitate Incarnationis non mutetur persona divina, quia terminus in relatione non mutatur, ut dixi supposito 1. imò nec quicquam aliud, quod habet rationem termini, ex præcisa ratione quia terminat, mutatur, ut dixi supposito 2. Et quia VERBUM in toto hypostatico habet rationem termini, ut dixi supposito 3. ideò vel exinde non mutatur.

INSTABIS 1. Posita hac explicatione non potest salvari veritas illius Propositionis; quòd VERBUM sit intrinsecè unitum humanitati; quòd VERBUM faciat unum per se cum natura humana; quòd VERBUM sit substantialiter unitum.

RESPONDETUR, hæc omnia salvari posse. VERBUM est intrinsecè unitum, non per receptionem seu appositionem alicujus conjunctionis, sed quia est terminus intrinsecus unionis hypostaticæ, vel modalitatis. Facit unum per se, quia per ly per se Unum, non plus importatur, quàm constitutum ex extremis, quorum unum est incompletum, & aliud habet jus, vim, energiam complendi; cū ergo, hoc ipso, quia unitur natura humana, non habeat propriam personam, & rationem totius, & ex altera parte, persona divina cū possit id totum præstare, quod præstat persona creata, fit, ut persona divina cum illa natura facere possit Unum per se. Deniq; est VERBUM unitum substantialiter, vel ratione unionis substantialis distinctæ, vel si est indistincta, ex eo id salvabitur, quia natura humana non unitur per accidens aliquod, v.g. per specialem gratiam aut affectum personæ divinæ; sed unitur ita, ut ex illis duobus extremis substantialibus, quorum unum est complebile, aliud complens, evadat unum.

INSTABIS 2. Pone substantiam, per possibile vel impossibile jam extra causas productam, non uniri naturæ, uniri postea; hæc personalitas mutabitur; Ergo & persona divina mutabitur.

RESPONDETUR, si supponatur illa persona nihil intrinsecum recipere, nego quòd præcisè ex eo sit mutanda.

INSTABIS 3. Posita possibilitate Incarnationis, vera est hæc denominatio, VERBUM est homo: quæ denominatio est intrinseca & realis VERBO; neq; enim potest denominari homo substantialiter à forma sibi extrinseca; & ita visio cum viso non facit unum per se.

RESPONDETUR, esse hanc denominationem intrinsecam VERBO, non ratione alicujus recepti in VERBO, sed quia evadit VERBUM terminus intrinsecus in toto hypostatico. Quanquam Lessius lib. 12. de perfectionibus divinis cap. 6. putant hanc esse denomina-

tionem extrinsecam. Suarez autem hîc d. 8. Sect. 3. dicit denominationem mediam: non est enim propriè intrinseca, quia non est à forma intrinseca, aut ab aliquo identificato rei denominata. Non est etiam denominatio merè extrinseca, quia est desumpta ab aliquo substantialiter unito; est ergo media, & participat cum denominatione extrinseca, in quantum provenit ab aliquo, neq; recepto in VERBO, neque identificato illi; in quantum autem provenit ex intima conjunctione, participat cum denominatione intrinseca.

INSTABIS 4. Si Angelus assumeret humanitatem, mutaretur præcisè ex eo, quòd ex non homine, fieret homo; ergo & VERBUM mutatur: fit enim ex non homine, homo.

RESPONDETUR. Supposito quòd substantia angelica sit modus, necessariò tunc mutaretur Angelus; idq; ideo, quia assumeret humanitatem substantialiter, quam assumere non posset sine nova substantia, quæ esset communis Angelo & illi homini, nam angelica, utpote modalis, soli Angelo conveniret. Si autem substantia illa sit res, & nihil tunc in se reciperet Angelus, negabitur quòd tunc mutetur; quòd si substantia angelica non sit distincta à natura illius entitative, non potest terminare naturam humanam; quia ex illo duplici conjuncto, resultaret Unum, utroq; perfectius, essetq; illic ratio totius, quæ non haberetur simpliciter à persona angelica; nam cū Angelus sit finita perfectionis, hinc fit, ut additione illa naturæ humanæ acquireret perfectionem, adeoque & mutaretur.

INSTABIS 5. Pati est mutari, incarnari est pati, ergo incarnari est mutari.

RESPONDETUR incarnari respectu humanitatis est pati, sed non respectu VERBI, nam respectu VERBI est potius terminare.

Punctum Difficultatis 2.

Explicatur Terminus intrinsecus.

Ratio Termini intrinseci debet desumi ex termino & ex intrinsecitate. Ratio termini desumitur ex prædicato terminandi, cohibendi, faciendi non ultra, quod interdum fit etiam complendo, ut reperitur in terminatione personali universaliter. Dixi, in terminatione personali, quia paries albus nullo modo potest dici complere visionem, quamvis illam terminet. Ratio autem intrinseci per hoc salvari debet, quòd dicat alligationem, inseparationem, conjunctionem veram & realem, licet illud alligativum non recipiatur. Terminus ergo intrinsecus ille erit, qui rem ita terminat, ut dicat alligationem, inseparationem, conjunctionemque veram & realem cum illo, quod terminat in suo conceptu; & sic terminus Relationis non

non dicit, quā talis, conjunctionem physicam cum subjecto; quod si eo ipso, quia aliquid refertur ad aliud, illud aliud deberet esse vi illius relationis conjunctum & colligatum realiter, ille terminus haberet rationem termini intrinseci. Et quia VERBUM ita terminat naturam, ut cohibet, ne alteri sit unita, eāq; ratione completatur naturam, ut dicat cum illa alligationem, in separationem, conjunctionemq; veram & realem, ideo VERBUM habebit rationem termini intrinseci.

DICES 1. Etiam materia & forma dicunt illam alligationem, & tamen non sunt terminus intrinsecus; ergo per dictam alligationem, non recte explicatur terminus intrinsecus.

RESPONDETUR. Terminus intrinsecus non tantum deponit alligationem, sed etiam rationem termini, quod non competit saltem materię primę comparative ad formam; cum hoc tamen stat, ut forma, respectu alicujus modalitatis habeat rationem termini intrinseci, itemq; materia, si modalitas v. g. spiritualis terminaretur non nisi ad illam.

DICES 2. Etiam Deus ad causandum petit intimam alligationem, & tamen non est terminus intrinsecus.

RESPONDETUR 1. ideo non est, quia ei non competit ullo modo tunc ratio termini.

DICES 3. Actus fidei, ex revelatione specialiter facta, credat reflexe de se: ubicunque ego sum, ibi est & habitus fidei, hoc ipso talis actus petit essentialiter alligationem cum habitu fidei, & tamen habitus fidei non est terminus intrinsecus.

RESPONDETUR 1. Id ideo esse, quia in tali suppositione, habitus ille fidei nullo modo habet rationem terminantis.

Nunc videamus, quomodo idem ab aliis explicetur.

EXPLICANT 1. aliqui apud Lugonem. Dicitur (inquiunt illi) aliquis terminus intrinsecus ex eo, quod non solum respiciatur secundum suam intrinsecam entitatem, hoc enim competit omni termino etiam extrinseci; sed quod unio v. g. habeat essentialem connexionem cum illo termino, & tam necessario pendet à termino, quam à subjecto. *Hec Responsio*

NON SATISFACIT: Quia vi illius sequitur, terminum relationis esse terminum intrinsecum; quia relatio tam necessario pendet à termino, nec potest esse sine termino; quod eodem magis procedit de termino relationis transcendentalis, quæ determinat sibi non nisi hunc terminum, qualis est relatio creaturæ ad Creatorem qui essentialiter, non nisi hic est.

EXPLICAT 2. aliquis. Terminus à terminando dicitur, eod, quod quasi limitem rei, quam dicitur terminare præfigat, ne illa ulterius procedatur; hinc uniri alicui ut termino, erit aliquam rem ita cohiberi, ut extra illam entita-

tem, quā cohiberi & terminari dicitur non egrediatur: intrinsecum autem esse, erit constituere aliquid unum per se substantiale, ut constituit VERBUM; secus color, qui est Objectum visionis, non dicitur terminus illius intrinsecus, sed extrinsecus, quia terminando visionem, non facit Unum per se substantiale. *Hec explicatio*

NON SATISFACIT. Quia quavis rationem termini explicet per id, quod notius est, ut & à nobis supra factum; hoc tamen quod affert de intrinsecitate, videtur non admittendum; nam ponamus, quod albedo uniatur quantitati aut materię, sed unione recepta in ipsa quantitate, terminata tamen ad albedinem, eo casu, illa albedo erit terminus intrinsecus, æque planè, ac VERBUM respectu humanitatis; & tamen non constituit Unum per se substantiale, sed unum accidentale. Casu item quo divinitus duæ naturæ unirentur inter se, eæque completæ, sed unione recepta non nisi in uno extremo, non constitueretur Unum per se, & tamen aliud extremum haberet rationem termini intrinseci; quomodo enim Unio cum extrinsecitate staret? ergo apparet de ratione termini intrinseci non esse, facere unum per se cum alio extremo.

EXPLICAT 3. Arriaga disp. 21. n. 24. Terminum intrinsecum esse illum, qui verè & per se unitur, alteri, & non in genere causæ materialis aut formalis. *Hec explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia in sententia ponente Unionem materialem, verè anima rationalis unitur tanquam forma materię, & tamen habet se per modum termini intrinseci, respectu illius unionis; ergo potest aliquid habere rationem termini intrinseci, quamvis uniatur per modum formæ. Quod si dicas, respectu unionis habere se ut terminum intrinsecum formæ, respectu autem ejus, non habet rationem causæ formalis; id etiam non convinceret; quia quærere restaret, cur illa forma respectu illius Unionis habeat non nisi rationem termini intrinseci, & non rationem causæ formalis? & illud potius erit explicativum termini intrinseci. Tum quia potest dici terminus habere se per modum causæ formalis extrinsecæ, possetq; hoc dici etiam de VERBO: ergo terminus intrinsecus non recte explicatur per hoc, quod debeat per se uniri, non tanquam causa formalis. Tum quia, hæc definitio procedit per terminos negativos, posset autem formari ex dictis per terminos positivos.

Punctum Difficultatis 3.

Quomodo ab aliis salvetur Immutabilitas Dei?

EXPLICAT 1. Pontius hic Q. 2. Qui fiat, ut Incarnatio peragi possit sine ulla mutatione personæ

Personæ divinæ, & dicit: Mutabilitas & perfectibilitas sequitur tantum ex eo, quod aliquid possit conjungi cum aliquo realiter distincto, sine quo non posset existere secundum se in statu connaturali suo, aut sine quo non posset exercere omnes operationes suas proprias &c. VERBUM autem potest connaturaliter existere. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia non probat, quod per hoc res tantum mutatur, sine quo in suo connaturali statu existere non potest. Tum quia sequitur ex illius doctrina, animam infusione gratiæ non mutari: cum sine gratia existere possit connaturaliter, & omnes operationes suas exercere sibi proprias seu debitas; nam supernaturales sunt illi indebitæ; casu item quo Angelo albedo uniretur, non mutaretur Angelus, quia nec illa indiget ad operationes, & sine illa connaturaliter existere potest; casu item quo per impossibile subiectaretur aliquid in Deo, non mutaretur Deus, quia sine illo connaturaliter existere potest, nec illo indiget ad operationes sibi proprias. Tum quia in explicatum relinquit, quomodo tamen tunc intrinsecè uniatur VERBUM.

EXPLICAT 2. Amicus hîc disp. 1. Sect. 1. & dicit specialiter, quod ad hoc, ut dicatur aliquid mutari, debeat perfici in proprio suo intrinseco esse & operari, unde veste nemo mutatur, quia per illam non perficitur in esse & operari; & quia in esse & operari non perficitur VERBUM per Unionem hypostaticam, hinc nec mutatur Verbum, per unionem hypostaticam. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia redeunt argumenta secundo loco contra Pontium facta, nempe quod sequeretur Deum & Angelum non mutandum, si per impossibile reciperent in se albedinem v.g. Quod si recurras ad hoc, per hoc ipsum mutandum Deum vel Angelum, quia reciperet in se illam albedinem; jam per hoc non nisi immutabilitatem salvas, quia non est receptio. Tum quia illud, quod adfert de veste, non convincit; nam quod veste non mutetur homo, vel ex eo deducitur, quia inter vestem & vestitum non est unio, quæ deberet fundare mutationem; quæ tamen unio reperitur inter Verbum, & naturam humanam. Tum quia quamvis concedatur ad mutationem perfectivam requiri, ut res perficiatur in suo esse intrinseco & operari, nego tamen, quod ad mutationem (ut ita dicam) defectivam, requiratur, ut dicatur extremum perfici in suo esse intrinseco & operari; sic vivens, posito, quod detur forma cadaveritatis, mutatur eadem, & tamen illa, nec perficitur in esse suo intrinseco, nec in operari; qualitas item illa, quam multi admittunt produci ab igne infernali, & recipi in spiritibus, mutat

eosdem, & tamen non perficit illos in suo intrinseco esse & operari.

EXPLICAT 3. Lugo. VERBUM ex vi Unionis hypostaticæ alligatur ad intimam conjunctionem cum humanitate, & ad componendum cum illa Unum per se; cum tamen VERBUM non supponatur incompletum, aut in potentia ad hoc, ut integretur & compleatur per aliquid aliud: sed potius supponatur omnino integrum & completum; humanitas autem afficitur intrinsecè unionem, cum etiam supponatur de se incompleta, & in potentia ad hoc, ut compleatur per aliquam subsistentiam; consequenter per unionem illam non mutabitur VERBUM, sed humanitas. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia, in principiis Lugonis, non rectè salvatur immutabilitas VERBI, si dicatur unionem recipi in humanitate, terminari ad VERBUM: Ergo nec bene per hoc explicatur, quia recipitur in humanitate, alligat autem VERBUM; hæc enim verbis videntur differre. Tum quia redeunt argumenta, quæ contra assumptum antecedens ponit Lugo, quæ sic proponi possunt. Si hæc alligatio extremi sufficit, ut terminus intrinsecè denominetur alligatus & unitus; Ergo dependentia actionis ab agente sufficit, ut agens denominetur intrinsecè agens. Rursus, potest esse aliqua cognitio ita intimè connexa cum objecto, sicut intimè alligat unio recepta in uno extremo, & alligans aliud; idque patet in cognitione quæ est visio Dei beatifica; & tamen Deus non denominatur intrinsecus terminus illius visionis, sed solum extrinsecus; Ergo non ideo erit VERBUM intrinsecè unitum, quia unio illa postulat intrinsecè alligationem & intimitatem cum VERBO. Tum quia vi hujus explanationis sequitur, animam rationalem non mutari, si in illa non recipitur unio.

EXPLICAT 4. Valentia hîc Disp. 1. q. 1. puncto 2. Mutationem alicujus rei non propriè in hoc consistere, ut res de novo sit aliquid, quod prius aliquo modo non erat; sed ut sit, vel acquirat aliquid, quod antea simpliciter & omni modo non habebat, scil. neque in perfectione quadam eminentiori, & ad quod proinde fuerit in potentia passiva simpliciter; quod in proposito minimè habet locum: nam VERBUM divinum, habebat prius rem & perfectionem naturæ humanæ eminenter, perfectissimo quodam modo. Quod autem id requiratur ad mutationem, rationem dat; quia communiter de mutatione dicitur, tunc eam fieri, quando res aliter simpliciter & absolute se habet, quam prius; unde & motus dicitur esse actus entis in potentia. Res autem, quæ aliquid modo præstantiori habebat, non dicitur propriè mutari, si illud postea acquirat formaliter; quia non simpliciter & absolute illo prius carebat. Consequen-

sequenter infert, potentiam vitalem mutari per actum vitalem, quia non habet in se eminenter perfectionem vitalis perfectionis; non enim sine operatione vitali, potest potentia efficere habitum, aut ejus augmentum, sed potius potentia vitalis tantum virtualiter continet operationem vitalem. Addit, quod si aliquis contendat etiam tunc mutari, quando aliquid formaliter & secundum se acquirit, licet illud præhabuerit eminenter, is non nisi de nomine quæstionem instituit. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia vi illius sequitur, quod etiam **VERBUM**, Unionem, naturam humanam, albedinem, reciperet, adhuc non mutaretur; cujus oppositum communiter docetur. Tum quia non explicat id, in quo est punctus difficultatis; nego etiam rem non mutari, quando res acquirit aliquid & habet formaliter, quod antea non nisi eminenter habuit: negaturque, quod tunc res aliter simpliciter & absolute se non habeat; antea enim simpliciter non habebat illam formam, nunc illam simpliciter habet; habet se igitur res aliter simpliciter, per ordinem ad habendam illam formam. Negatur item, quod forma illa non sit actus entis in potentia: ubi non dicitur, quod debeat esse actus entis in potentia eminenter non præhabente. Tum quia, faciunt in contra paritates. Quando potentia aliqua non nisi virtualiter & per modum organi continet actum, mutatur per illum actum: Ergo etiam res quæ eminenter habet aliquid, si illud habeat formaliter, mutabitur per illam formam; item, si miraculose quantitas una alteri quantitati uniretur, mutaretur adhuc illa quantitas, quamvis una æquivaleret alteri: Ergo etiam quamvis aliquid contineat aliud eminenter, si illi, aliquid quod est formaliter tale, uniatur, mutabitur adhuc. Denique supponamus, quod Angelus supremus per unicam indivisibilem speciem cognoscat omnia materialia, infundat illi Deus speciem particularem non nisi unius materialis, verè adhuc illa specie mutabitur Angelus, vel ipso titulo receptionis: Ergo continentia eminentialis non eximit à mutatione, si accedat aliquid tale formaliter. Addo: per ly **Continentem**, intelligit Valentia, posse se ipso facere totum illud; sic autem **VERBUM** non continet eminenter unionem hypostaticam, quia se ipso non potest facere Totum hypostaticum.

EXPLICAT 5. Aldrete Disp. 31. Sect. 1. Quod datur in Toto hypostatico duplex unio, quædam creata, quæ sit in humanitate eamque perficiat, & per illam unitur humanitas intrinsecè **VERBO**, non autem **VERBUM** humanitati; hinc alia est unio ex parte **VERBI**, in creata, quæ sit in **VERBO** quasi subjectivè, & per hanc **VERBUM** intrinsecè unitur humanitati, consequenter tunc non perficitur **VER-**

BUM per aliquid creatum, adeoque non mutabitur. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia est novitas in Theologia ante non docta à Patribus, Unio hæc increata. Tum quia hæc unio increata, vel est sequens ipsam naturam divinam, adeoque una communis omnibus tribus personis, vel est sequens proprietates relativas, ita ut dentur tres uniones distinctæ realiter, sicut dantur tres personæ distinctæ realiter. Neutrum dici potest; non primum, quia jam non minus pro sua parte esset unita persona Patris, ac persona Filii, cum à parte personæ eadem sit trium Personarum unio: possetque de illa quæri; an sit virtualiter distincta à natura, vel indistincta? si distincta, quis articulus Fidei ad hoc cogit? si indistincta: Ergo in sensu reali illa unio erit natura, adeoque dicet completivitatem ut Quo ipsa Natura, ut dicit illam Unio; & tamen ex Natura divina & creata, non potest fieri unum per se completum substantiale. Si autem illa Unio est multiplex pro multiplicitate personarum; contra erit; quia omnes formalitates, quæ sequuntur personas divinas, debent esse secundum oppositionem producentis & producti, quam formalitatem non imbibit in se illa unio increata. Deinde unio illa increata deberet in se salvare conceptum unionis, hoc ipso enim non haberet formalitatem unionis; sed non salvat, quia unio debet concipi tanquam id, sine quo potest esse unibile, cum illa non possit esse sine unibilibus; & tamen existens ab æterno, erat sine unibili natura humana: quod procedit, si unio sit modus. Si autem non est modus, sed ipsum unibile in circumstantiis, restabit quærere, cur ipsa illa Unio, quæ in re est ipsemet Deus, non mutetur tunc? Tum quia, & esset, illa unio increata, ab æterno unio increata, debet enim esse hoc, quod est; & non esset unio increata ab æterno; quia nihil uniret, sicut non est dealbatio ab æterno, quæ non dealcat, impossibileque est esse actum secundum & non habere effectum in actu secundo, hoc ipso enim non esset actus secundus. Unio autem est ipse actus secundus, & si non concipiatur ut actus secundus, non erit Unio, sed Unibile. Deinde illa unio increata, vel est mera formalitas intelligibilis non nisi, vel aliqua virtualitas, aut realitas. Non 1. quia immutabilitas Dei ejusque unibilitas non pender à nostris conceptibus. Non 2. quia illa etiam posita, quærere restat, quid illa proficiat ne mutetur Deus? quærere item restat ut dixi, cur illa ipsa non mutetur?

EXPLICAT 6. Aldrete Sect. 5. & dicit; quod **VERBUM** ideò non mutetur, quia cum **VERBUM** divinum in se sit infinitè perfectum, nulla perfectione creatâ indiget, illaque carens **VERBUM**, est eodem modo felix; quod ipsum exinde firmat, quia ut aliquid perficiatur in-

trina-

trinfecè per aliud, necesse est, ut perficiens magis conveniat perfectibili, eò, quòd illi intrinsecum est, quàm, si solum se haberet extrinsecè, & est id citra dubium; nihil autem creatum, Deo intrinsecum, est ipsi magis conveniens, quàm si solum se haberet extrinsecè; Ergo nihil creatum intrinsecè Deum perficit. Minorem probat; quia illud creatum Deo intrinsecum, si non sit necessarium de se, ut existat infinita perfectio divinæ naturæ, nihil aliud præstat, quàm addere numerum perfectionum, per quem non resultat absolute major perfectio, quàm confurgat ex Deo solo. Ut autem addatur solum numericè & extensive modo dicto perfectio, est omnino per accidens. *Hec Explicatio*

NON SATISFACIT 1. Quia ex dictis potest contingere mutatio, licet additum non inferat perfectionem, ut si Deus reciperet in se albedinem, vel Angelus; & sicut inæqualitas non solum contingit per excessum, sed etiam per defectum; ita & mutatio non tantum erit, si res acquirat perfectionem, sed etiam si acquirat imperfectionem: Ergo ex eo præcisè, quòd illa unione non acquirat Deus perfectionem, non sequetur illum non mutari.

NON SATISFACIT 2. Quia posito, quòd illa unio non perficeret Deum, sed se haberet adhuc per modum addentis numerum perfectionum, nondum sequitur præcisè ex eo Deum non mutari. Ratio: quia quando quinario additur unitas, mutatur quinarium, & tamen augeatur non nisi numerica perfectio: Ergo si unione augeatur numerus perfectionum in Deo, non sequitur ex eo jam præcisè non mutari adhuc Deum. Quod si recurras, sextario non esse quid extrinsecum additionem unitatis factam quinario, hoc ipso jam inclinabis ad hoc, quòd mutatio non nisi additione in se recepti alicujus perficiatur, eaque intrinsecà, quod supra acceptatum.

NON SATISFACIT 3. Quia possunt restaurari rationes, quas solvere voluit Aldrete.

1. RATIO: Mutaretur Deus intrinsecè, si per impossibile denominaretur intelligens, aut subsistens per aliquid creatum: Ergo etiam si denominetur VERBUM unitum intrinsecè mutabitur VERBUM.

RESPONDET Aldrete: quia Deus de se petit intelligere hoc objectum, & subsistere, & perficitur per cognitionem secum identificatam, repræsentativam illius objecti, & per propriam subsistentiam, & est in Deo aliquod incomplementum virtuale, in ordine ad percipiendum illud objectum & subsistendum.

CONTRA. Tum quia Deus de se petit esse unibilis, ergo sicut sequitur illum mutari, si haberet cognitionem creatam, cum petat intelligere: ita mutabitur unione, cum petat esse unibilis. Tum quia habet Deus in completionem

virtualem, in ordine ad intelligere & subsistere: Ergo etiam habet incompletionem virtuales ex prædicato unibilis in ordine ad uniri; Ergo sicut intellectione creatà mutaretur, ita mutabitur unione creatà: imò exinde impossibilitas adhuc unionis hypostaticæ confurgeret, quia si possibilis esset unio hypostatica, supponeretur Deus esse unibilis, si unibilis, complebilis aliquo creato, si complebilis, mutabilis hoc ipso, & quidem magis quàm intellectione creatà: quia dicit incompletionem ad intellectiōem, vel subsistentiam increatam Deus, vel potius ad intellectiōem & subsistentiam, quæ potest esse increata, potest creatà: hic autem diceret incompletionem ad aliquid creatum: unio enim illa non potest esse, nisi aliquid creatum. Tum quia etiam attendendo ad principia ipsius Aldrete hic num. 4. videtur oppositum evinci: nam esse unibilem naturam divinam, est perfectio intrinsecè necessaria, quasi à posteriori, ad existentiam naturæ divinæ, hancque unibilitate deficiente per impossibile, ipsa natura deficeret: Ergo hæc unibilitas in actum reducta, & quidem per aliquid creatum, faciet mutari Deum: sicut, si alia perfectio divina intrinsecà in actum reduceretur, per aliquid intrinsecum creatum, mutaretur Deus.

2. RATIO. Casu quo daretur natura identificans secum suam subsistentiam, si subsisteret per aliam subsistentiam, hoc ipso mutaretur: Ergo etiam mutabitur VERBUM unione hypostaticà.

RESPONDET Aldrete: quia subsistere ex suo genere pertinet ad complementum naturæ illius, & creatà subsistentia præberet munus ex genere suo pertinens ad complementum illius naturæ, novoque titulo compleret illam naturam.

CONTRA. Esse unibile pertinet ex suo genere ad complementum Dei, unioque creatà exercet munus, & aduat id, quod est pertinens ad complementum Dei: Ergo, sicut illa subsistentia creatà mutaret illam naturam creatam, mutabit & unio Deum: & sicut creatà illa subsistentia, præberet munus, ex genere suo pertinens ad complementum naturæ, ita & creatà unio præberet munus pertinens ad complementum unibilis.

3. RATIO. Si exerceret Deus munus causæ materialis, mutaretur: Ergo & unione hypostaticà mutabitur.

RESPONDET Aldrete, disparitatem esse, quia omnis causa materialis, est verè & strictè pars, & de se est quid incompletum: hoc autem Deo non competit.

CONTRA. Ex eo, quòd sit causa materialis quid incompletum, mutaretur Deus, si illam exerceret: Ergo etiam, cum esse unibile sit quid incompletum, utpote capacitas ad uniri, dum

dum VERBUM redditur intrinsecè unitum,
mutabitur VERBUM.

DIFFICULTAS II.

*Alia Principia ex Theologia natu-
rali.*

PRINCIPIMUM est à Pari.

1. PARITAS est. Natura divina secundum esse suum absolutum sumpta, non potest suppleri naturam creatam, quamvis contineat perfectionem omnis naturæ creatæ: Ergo nec Persona divina potest suppleri personam creatam, quantumvis Persona divina, contineat perfectiones omnes personæ creatæ.

RESPONDETUR disparitatem esse, quia ly Unum per se deposcit completum & complebile, complebile autem esse non potest, si utrumque extremum sit completum; duæ autem naturæ in ratione naturæ non sunt, nisi Entia completa, quia quicquid illis ademeris, jam non erit illa natura, sive ademeris genus, sive formam: jam autem natura in ratione subsistens est complebilis, nec per hoc amittet rationem suæ entitatis, consequenter in ratione suppositibilis compleri per se potest & fieri Unum per se. Dubitari tamen posset, an non sit possibilis modalitas physica, vi cuius ex natura divina & humana, non constituatur quidem Unum per se, constituatur tamen specialiter, idque verè & realiter, alligatum? Quod non possit haberi talis Unio, innuit Lugo: quia omnis vera unio ex suo conceptu tendit ad hoc, ut ex extremis fiat verè & per se Unum; sed hoc videtur procedere de determinationibus, quæ defacto dantur: non enim videtur implicare contradictionem modalitas, determinans illas naturas ad alligari, quamvis sine facere unum per se; & si datur modalitas, quæ potest facere Unum per se, quin faciat unum per se substantiale, quod fit, dum albedo unitur subjecto: cur etiam dari non poterit modalitas determinans ad conjungi physicè, quamvis non fiat ex illis unum per se.

2. PARITAS est. Non potest existere natura humana existentia VERBI, nec potest natura humana amittere propriam existentiam & acquirere divinam: Ergo nec potest natura subsistere personalitate VERBI.

RESPONDETUR, in principiis Thomistarum falsum esse antecedens. In communibus principiis disparitas est; quia, eo ipso, quod suppleret existentia VERBI existentiam humanam in natura, & esset natura humana ut supponitur, utpote facta existere per existentiam divinam, & non esset: quia existentia est identificata realiter ipsi naturæ, nec habet connotatum ullum, ratione cuius dicatur definire, adveniente exi-

stentiâ VERBI, quod si existentia est identificata naturæ, nec habet ullam formalitatem, ratione cuius definire possit, non definente naturâ, si non definit natura humana, ut supponitur, nec definit existentia, si non definit existentia, quomodo supplebitur ab existentia increata? idemque dicendum erit, cur nihil possit durare per durationem divinam: quia in nostris principiis, ipsa duratio intrinseca est indistincta entitativè. In aliorum principiis, hæc posset dari disparitas; quia si suppleret duratio increata durationem creatam, deberet fieri Unum per se, ex duratione increata, & natura humana: nam non nisi per communicationem idiomatum, fundatâ in ratione Unius per se, suppleri posset aliquid creatum ab increato: quia autem, ex natura creatâ, & duratione increata, non potest fieri Unum per se: quia duratio increata sequitur ipsam naturam divinam, non Personalitates, utpote quid commune & absolutum; hinc nisi Unio fiat in ipsa natura divina, non potest fieri Unio cum duratione increata, quæ indistinguitur virtualiter à natura; & quia naturæ divinæ, & naturæ creatæ unio, non potest dari constituens Unum per se, ideò nec inter naturam creatam & durationem increatam potest fieri Unio constituens unum per se, quod si non constitueret unum per se, hoc ipso non poterit dici natura creatâ durare, per increatam durationem.

3. PARITAS est. Non potest Sapientiâ increatâ reddi Sapiens Natura creatâ: Ergo nec subsistens subsistentiâ increatâ.

RESPONDETUR. Sapientiam increatam duplici modo concipere possumus; Primò per modum attributi. Secundò possumus concipere Sapientiam increatam, per modum actûs vitalis divini, quo reddatur formaliter & in actu secundo Sapiens Deus. Sub nulla harum formalitatum, natura creatâ potest reddi sapiens, per sapientiam increatam, quod non possit reddi creatura sapiens sapientiâ increatâ, sumpta pro actu vitali, ratio ex animasticis est; quia actus vitalis non potest denominare, nisi connaturale suum principium: cum ergo nulla creatura, ullo modo, possit esse principium actûs increati, fit ut ab illo denominari non possit, quod si deberet uniri sapientia per modum attributi, necdum etiam sic sumptâ posset creatura reddi sapiens. Ratio: Attributa omnia, exceptis personalibus proprietatibus, sequuntur ipsam naturam divinam, alias conveniret unum attributum uni Personæ, quod non convenit alteri, possetque de illa negari: sicut, quia ratio VERBI sequitur secundam Personam, potest negari de Patre; jamque etiam eo casu, si non sequeretur sapientia naturam, sed personam, posset de aliqua Persona negari; quod dici non potest: quia Deitas debet trahere secum omnè possibilem perfectionem, adeoque & sapientiam. Et

* 6

certè